

liandi. Quod si Ecclesia violata, seu polluta tantum sit benedicta, potest reconciliari per simplicem Sacerdotem, asperione, scilicet, aqua benedicta etiam sine licentia Episcopi. *c. fin. b. t. l. fin. tit. 10. p. 1.*

## TIT. XLI.

## De Celebratione Missarum, &amp; Sacramento Eucharistia, &amp; Divinis Officijs.

358 **E**ucharistia Græcè, Latine, significat gratiam optimam, seu gratiarum actionem. Est igitur Sacramentum, quatenus est signum visibile invisibilis gratia: est Testamentum, quatenus est instrumentum authenticum Divinae voluntatis, & promissionis vitæ æternæ: est Sacrificium, quatenus Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominij. Et quidem Eucharistia olim habuit plures figuras in Lege veteri, quarum præcipua fuit *Agnus Paschalis*. In Missa tamen comparatur Sacrificio Abel, Abrahæ, & Melchisedech. Signa quidem Eucharistia sunt oblatio Melchisedech, respectu ejus, quod est Sacramentum tantum: manna respectu ejus, quod est res tantum, & Agnus Paschalis respectu ejus, quod est res, & Sacramentum. Profecit: Sacramentum tantum stat in materia, scilicet in pane, & vino. Res tantum est effectus hujus Sacramenti, scilicet, gratia. Res & Sacramentum est Corpus verum Christi Domini. *D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 6.* & sanè inter omnia Sacramenta Legis veteris, & novæ excellentissimum, Sacrosanctum, mirabile, venerandum, maximeque Divinum Sacramentum Eucharistia habetur, Eucharistia namque dicitur, quia cum gratiarum actione offertur Æterno Patri, principaliter quidem à Christo, à Sacerdote tamen ministerialiter. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, cap. 1. & 2.* Et licet hoc Sacramentum sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione, quin omnium Sacramentorum perfectio est: pluribus insuper nominibus Eucharistia indigitatur, sed frequentiora sunt sequentia: *Synaxis, communio, sacrum convivium, panis Angelicus, Cæna Domini, memoriale Passionis, Hostia, Victimæ, Viaticum*, & alia, de quibus com. DD. Præterea: Eucharistia est Sacrificium, & Sacramentum: qua Sacrificium pertinet ad primam Rubricæ partem: qua Sacramentum ad secundam

spectat. Et quando Eucharistia absolute dicitur, ut Sacramentum significatur, & sic aptè describitur. *Est Sacramentum continens sub specie panis, & vini, vel alterius eorum, Corpus, & Sanguinem Christi ad resurrectionem spirituales animarum, Divinitus institutum. Joan. 6. Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 2.* quatenus Sacrificium est, dicitur *Missæ*, quod nomen Hebraicum est; teste Nebrissensi, à verbo *Misach*, quod oblatum significat, deductum. Vel sic dicitur à verbo *Mitto*: quia olim Cathecumeni ante oblationem dimittebantur, & fideles hodie dimittuntur, Sacrificio peracto, per illa verba: *Ite Missæ est*, id est, ite, nam Hostia ad Cælos Missa est. *L. 58. tit. 4. p. 12* ibi: *Missæ tanto quere dicitur, como cosa enviada. D. Thom. in 3. p. q. 83. art. 4. ad 9.* ibi: *Est propter hoc, etiam Missæ nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem: vel quia Christus est Hostia nobis Missæ à Deo. Undè & in fine Missæ Diaconus in festis diebus Populum licentiat, dicens: Ite Missæ est, scilicet Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet, sit Deo accepta. Missæ ergo est actio, qua ex institutione Christi Domini in memoriam Passionis ejus, panis, & vinum in ejusdem Corpus, & Sanguinem consecrantur, & sub eorum speciebus Deo offeruntur. Et est verum, & excellentissimum novæ Legis Sacrificium. *Trid. sess. 22. can. 1.* superans omnia Legis veteris sacrificia; sed ut clarius hæc percipiatur materia, aliquid de Sacrificijs prænotare oportet.*

359 **Sacrificium** equidem in genere est oblatio Deo super altari facta in recognitionem dominij, & Majestatis ipsius cum aliqua destructione, vel immutatione notabili, saltem moraliter rei oblatæ. Sacrificia enim apud omnes Gentes in usu fuerunt. Sic apud *Virgil. Æneid. 2.* habetur: *Hanc pro Palladio moniti pro lumine laeso, effigiem statuere, nefasque triste pariet.* Sic etiam apud *Ovid. lib. 12. Metam.* Aggamenon filiam Dianæ sacrificare intendit: *Castumque datura cruorem stentibus ante aram stertit Iphigenia Minisiris.* Deo etenim verò à tempore Abel sacrificia offeri cœperunt: & à Moysè cepit sacrificium Agni Paschalis. Sacrificium autem, vel est *eruentum*, in quo scilicet, sanguis effunditur; vel *inercruentum*, in quo non effunditur sanguis. Et quidem aliquando offerebatur aliquid animatum, ut bos, & dicebatur *Hostia*, vel *Victima*: aliquando, quid inanimatum, & solidum offerebatur, & dicebatur *immolatio*; aliquando offerebatur quid inani-

animatum, & liquidum, ut vinum, & dicebatur *libamen*, quamvis sæpè prædictæ voces confundantur, & aliæ pro alijs usurpentur. Sacrificium in Lege veteri ratione formæ erat triplex. 1. quidem erat *Hostia pro peccato*, quæ partim Sacerdoti tribuebatur, & partim comburebatur, offerebaturque ad obtinendam peccatorum remissionem: quod si offerebatur sacrificium pro peccato Populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis, totum comburebatur: & hoc sacrificium conveniebat statui poenitentium in satisfactionem peccatorum. 2. erat *Hostia pacifica*: quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium; & quidem ex debito beneficij, vel accepti, vel accipiendi: & hoc convenit statui proficuum in impletionem mandatorum: & talis Hostia dividebatur in tres partes: una enim pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars in usum Sacerdotum cedebat: tertia vero offerentibus applicabatur: ad significandum, quod salus hominis procedat à Deo, dirigentibus Ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur. 3. sacrificium *holocaustum* dicebatur, quasi *totum incensum*, in quo scilicet tota victima, pelle excepta, concremabatur, etæque sacrificium unice in honorem supernæ Majestatis Divinae oblatum, & conveniebat statui perfectionis in impletionem conitorum, & idco totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, & ei esse offerenda. His omnibus successit in Lege Gratiæ unicum Missæ sacrificium, cujus cætera omnia figura erant. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 1. D. Thom. 1. 2. q. 102.* Ratione tamen finis quadruplex distinguitur sacrificium. 1. *Latreuticum*, quod purè ad Dei cultum. 2. *Eucharisticum*, quod specialiter in gratiarum actionem. 3. *Propitiatorium*, quod ad remissionem culpæ, & poenæ. 4. *impetratorium*, quod ad aliquid à Deo obtinendum offertur. Holocaustum erat pro *Latreutico*; Hostia pacifica pro *Eucharistico*, & *impetratorio*, Hostia tamen pro peccato, pro *Propitiatorio*. *D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3.* Missa verò est sacrificium *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *impetratorium*, & *propitiatorium*, ac proinde omnibus Legis veteris sacrificijs superabundè æquivaler. *Trid. sess. 22. Can. 3.* Hinc effectus Missæ sunt quatuor. 1. est Dei complacentia: siquidem Christus Dominus, qui est principalis offerens, & victima oblatæ per hoc sacrificium Deo exhiber perfectissimum Latrice

cultum, in quo Deus complacentiam habet. 2. est gratiarum solutio pro Dei beneficijs: nam beneficia Dei recognoscuntur cum oblatione hujus Hostiæ pro debito gratiarum solvendo: Et respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat simpliciter infinite in actu secundo: quia Deus infinite, & summè sibi complacet in hoc sacrificio, & bonum infinitum pro gratijs redditur. 3. est remissio peccatorum, quoad culpam, & poenam: diversimode tamen nam poenæ remittuntur inmediate per applicationem satisfactionum Christi: peccata verò, saltem mortalia, non remittuntur inmediate, sed solum mediate, quatenus Deus propter hoc sacrificium auxilia peccatoribus confert ad contritionem, & confessionem, ut hoc modo peccata deleantur. Sic *ex Trid. sess. 22. c. 2. & Can. 3. D. Thom. Sum. & alij. 4.* denique effectus est impetratio omnis generis beneficiorum, etiam temporalium, quatenus hæc ad æternam salutem conducunt. Respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat actu simpliciter finite: quia Deus illud non acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas. Hinc est, quod pro eodem fine multiplicentur sacrificia, & plus pluribus, quam uno obtineatur, & minus prole unum sacrificium pro pluribus, quam pro uno oblatum. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 45. Sum. & alij communiter.* Longiore de his texere disputationem ad Theologos pertinet. Christus enim Dominus, qui in Cruce semel fuit victima cruenta, sæpius in Missa victima incruenta offertur: inò & ipse est Minister principalis hujus sacrificij, *c. 1. de Sum. Trinit. ibi: Ipse Sacerdos est sacrificium Jesus Christus. Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 2.* Sacerdos verò est secundarius hujus sacrificij Minister, qui personam Christi representans, Deo hoc sacrificium offert, & est quasi Vicarius Ecclesiæ. Profecit hoc Missæ sacrificium est idem numero cum sacrificio Crucis quoad substantiam rei oblatæ, & principalem offerentem: quia utrobique idem est principalis offerens, & victima oblatæ, nempe Christus: differunt tamen quoad modum, tempus, locum, ritus, ceremonias, & alias circumstantias. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 2.* ait: *Una enim, eademque est Hostia: idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce oblat, sola offerendi ratione diversa.* Et licet in sacrificijs Legis Veteris non fomeretur caro animalium, in hoc tamen sacrificio caro Christi offertur: quia oportet, quod veritas figuram excedat. Et merito quidem caro humana offertur. 1. quia ex eo, quod



est humana natura caro, congruè offertur pro hominibus, & ab eis sub Sacramento sumitur. 2. quia ex eo, quod erat passibilis, & mortalis, apta utique erat immolationi. 3. quia per hoc, quod erat sine peccato, efficaciæ erat ad peccata emundanda. 4. quia ex eo, quod erat caro ipsius offerentis erat Deo accepta propter ineffabilem charitatem suam carnem offerentis. *D. Thom. in 3. p. q. 48. art. 3.*

360 Quoad obligationem hoc sacrificium offerendi, sciendum est, quod in singulis Ecclesijs Cathedralibus, Parochialibus, & Conventualibus debet quotidie celebrari Missa, si conveniens, seu mediocri numerus Sacerdotum sit. Insuper Sacerdos ratione ordinis aliquoties tenetur hoc sacrificium sub gravi offerre, ne in vacuum gratiam Dei receptisse videatur: *arg. c. 9. h. t. D. Thom. in 3. p. q. 82. art. 10. Sum. in 3. p. D. 80. sect. 1. & alij*, contra *D. Bonavent. Cajet. & alios*. Parochi tamen ex officio saltem singulis diebus Dominicis, & Festis, ut Populus præceptum adimpleat, tenentur Missam celebrare. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 14. ibi: Curæ Episcopus, ut ij (id est Presbyteri) saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisficiant, Missas celebrent.* Itaque ubi Tridentinum est receptum, tenentur Sacerdotes ex mandato Episcopi sub gravi culpa, saltem Dominicis, & Festis celebrare: si verò nullum Episcopi mandatum extet, excusantur. Alij Sacerdotes Beneficij, juxta tenorem foundationis sui Beneficij, vel Capellanie Missam celebrare debent. Cæteri omnes, etsi nulla Lege quotidie celebrare obligentur, valde decens, maximeque proficuum est quotidie celebrare: nam cum quotidie peccemus, quotidie oportet Christum pro nobis immolari. *c. 7. de Conf. D. 2. & Omnes curam animarum habentes, sive Sæculares, sive Regulares debent applicare Missam pro Populo in Dominicis, & festis de præcepto. Ex Missis Conventualibus, debet quotidie una saltem (si plures celebrentur) pro benefactoribus applicari. Si una tantum celebretur, ea quotidie applicabitur. Juxta Conf. Bened. XIV. Cum semper. 19. August. An. 1744. \* Missa equidem dicenda est in Ecclesia consecrata, vel saltem benedicta: & quidem in Ecclesia, vel altari electo à fundatore, & non alibi, nisi de fundatoris, vel præbentium stipendium consensu. Sic S. Cong. Conc. 17. August. Ann. 1647. apud Pignat. Et solum de licentia Sedis Apostolicæ possunt alibi dici Missæ, nisi locus designatus esset impeditus,*

vel Ecclesia diruta: quæ tunc Episcopus alium locum designare potest. Si enim Ecclesia in censa, vel diruta sit, in Capellis cum tabula consecrata interim Missas celebrari jus ipsum permittit. *c. 30. de Conf. D. 1. ubi additur. In itinere vera possit, si Ecclesia defuerit, subâio, seu intentionis, si tabula Altari consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus, aliter omnino interdiciamus. In Oratorijs privatis ex privilegio Apostolico potest sane Missa celebrari. In Oratorio Palatii Episcopalis Missa celebrari nequit, quando Episcopus non est præsens, quippe non est privilegium locale, sed personale. *Muri Hiero-Lexic. V. Oraculum. Præterea Clemens XLII. Decr. 5. Dec. 1703. declarat: Episcopis, & bis majoribus Prelatis, etiam Cardinalatibus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu clausi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diocesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere: ac pari modo in Oratorijs privatis, qua per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris etiam Sancti Joannis Hierosolimitani, aut alijs quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi in ijs celebrare in diebus Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, alijsque anni Festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis: in reliquis verò diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis in præfatis Oratorijs celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, qua in indulto conceditur, fuerit celebrata, super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo lo optimè informare: atque illa, etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post Meridiem, demandando ulterius, & declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quasumque dictas Missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisficere. Quo verò ad Altare portatile, iterum inherendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in C. in his, de Privileg. Et per aliquos Summos Pontifices alijs Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium (Tridentinum) atque idcirco eisdem Regulares pro-**

hibendos, ne illis ut antea, ac mandatum, prout presentis tenore mandat Episcopis, alijsque Ordinarijs locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quomvis Regularibus, procedant, tanquam Sedis Apostolicæ delegati ad penas præscriptas per idem Sanctum Concilium in Dec. sess. 22. c. an. 11. que ad censuras lata sententia, tributa etiam ipsam facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde, ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat. Et quamvis ex prædicto Decreto inferri videatur, quod non possint Episcopi non solum privata oratoria concedere, ut ibidem celebraretur semper, & per modum habitus, sed quod nec possint concedere licentiam, ut aliquoties in anno ex aliqua justa causa celebraretur, ut aliqui tenent: nihilominus alij hoc quidem concedunt, & sæpe utas confirmat. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 263. qui n. 275. ex privilegio Comp. Societ. V. Oratoria, aut, quod possunt nostræ Societatis Provincialis, nullius requiritur licentia, privata Oratoria erigere: neque Regularium Oratoria indigent Episcopi designatione, vel approbatione, possuntque in illis legi plures Missæ eodem die, non tantum à Regularibus, sed etiam à quocumque alio Sacerdote, cum hoc privilegium potius locale, quam personale censetur, ac proinde immunitate gaudent, non autem secularia. *Lezana, Diana, & alij. Commissarius Cruciatæ potest facultatem celebrandi Missam in privatis adibus concedere, ut ex eorum instructione constat, ibi: Item, que podamos dar licencia para celebrar, y hacer decir Missa en Oratorio particular, sendo primero visitado por el Ordinario, y en Altar portatil. idem possunt subdelegati in Indijs. *Luz, tit. 20. lib. 1. R. Ind. item ex eorum instructione constat: Que podamos dispensar con los Nobles, y otras personas, que nos pareciere de calidad, para que puedan celebrar, y hacer decir Missa una hora antes de la luz, y otra despues de mediodia, aunque sea en Oratorio privado, y en tiempo de Entrericho, en su presencia, y de sus familiares, domesticos, & parientes. An. 1740. declaravit Benedict. XIV. non licere Missam celebrare in Oratorijs privatis quando eidem Missæ, aliquis ex his quibus principaliter indultum concessum est, non interfuerit, & idem antea censuit sacra congregatio Concilij die 3. Decembris equidem ant. 1740. cujus resolutione ne dum, approbata fuit à eodem Benedict. XIV. verum etiam decreto publice evulgando voluit omnibus notam fieri. \* Olim quidem tempore Apostolorum***

rum, & proximo sequenti nulla hora presenita erat pro conficiendo sacro, propter sævas Tyrannorum persecutiones: quibus postea sedatis, statutum fuit, ut Missa ante horam diei tertiam, & minime celebranda esset, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur. *c. 48. de Conf. D. 1. In diebus autem jejunii, præcipue Quadragesimalis, olim sacrificium Missæ non offerbatur, nisi ex hora nona, Vespertilio expleto officio. *c. 50. de Conf. D. 1. unde derivatum est, ut post horam nonam celebraretur Missa in diebus jejunii, & in Quadragesima vespere, ante prandium dicanetur. *Sic D. D. Emmanuel Gonzalez, Tellez, in c. 1. h. t. n. 11. & 12. Hodie tamen in Trid. sess. 22. in Decr. de Observandis in celebr. Missæ, dicitur: Ne superstitioni locus aliquis datur, & præcis in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, que ab Ecclesiâ probatæ, ac frequentes, & laudabili usæceptæ fuerint: ac proinde Missa privati est dicenda, recte universalis Ecclesiæ consecrata, & Rubricæ præscripto ab Aurora usque ad Meridiem, nisi aliud privilegium, necessitas, vel aliqua specialis consuetudo prædeat. Regulariter igitur Missa debet celebrari in die, & non in nocte, quia ipse Christus est præsens in hoc Sacramento, qui dicitur *Joan. 9. v. 5. Me oportet operari opera quæ sunt qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari: quando in Mundo sum, lux sum Mundi. Et ratio humana, & literalis esse videtur: quia ante tempus Aurora, communiter loquendo, non sunt homines convenienter dispositi ad hujusmodi Religionis opus, quod publice, & cum debita reverentia fieri debet: & quia totum illud tempus matutinum usque ad Meridiem aptissimum est ad hujusmodi ministerium, Missa ergo debet in die celebrari, ait *D. Thom. ita tamen, quod principium diei non à media nocte, nec ab ortu Solis, id est, quando substantia Solis apparet super terram accipiatur, sed quando incipit apparere Aurora. Tunc enim quodam modo atterit Sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Unde, & *Mar. 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam Sole, cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, ut dicitur *Joann. 20. Et sic hanc contrarietatem solvit August. in lib. de Conf. Evang. per Auroram (quidem intelligitur initium) crepusculi hæc in Marto circa æquinoctium præcedit Solem per horam cum quadrante: in*******



Junio circa Solstitium per duas horas cum quadrante: in Februario, & Septembri per horam, & mediam: in alijs mensibus aliquando per duas horas, vel per unam cum tribus quadrantibus: ac proinde excepto Martio semper durat per horam, & dimidiam, ut ex alijs affert. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 226.* Et cum Missa possit inchoari tanto ante Auroram, ut finiatur sub ejus initium, licet utique cuilibet Sacerdoti Missam incipere duabus horis ante Solis ortum: & Religiosi, qui ex privilegio una hora ante Auroram possunt celebrare, tribus quidem horis ante Solis ortum dicere Missam poterunt. *Suar. in 3 p. D. 80. sect. 4. Filius. & alij.* Nec item potest post Meridiem differri inchoatio Missae: sed debet in puncto horae duodecimae saltem inchoari Missa, ut praxis docet, nisi ratione magnae solemnitatis, vel alia justa causa differri oporteat. Presbyteri Societatis in utraque India possunt ex concessione *Gregor. XIII. facta 5. Maji 1578.* per Bullam. *Quanta in vinea Domini.* Celebrare Missam per horam ante Auroram, & infra horam post Meridiem. Et ex concessione *Alex. VI. 23. April. 1499.* & *Clem. VIII. 30. Sept. 1592.* celebrare à duabus horis post mediam noctem usque ad Nonam inclusive, ut constat ex *Comp. priviil. Soc. V. Missa.* In nocte quidem Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi Missa celebrari valet statim post mediam noctem. *c. 48. de Conf. D. 1.* Et olim etiam in Vigilia Paschae Resurrectionis Missa de nocte celebrabatur. *c. 4. D. 75.* propter hoc quod Dominus nocte resurrexit, cum adhuc tenebrae essent: ante manifestum Solis ortum, ut ait D. Thomas. Sed hoc jam hodie non licet, cum haec consuetudo cessarit. In Capella Papali Missa Nativitatis per duas circiter horas ante mediam noctem celebratur, teste *Jacobo Marci in Hiero. Lexic. V. Missa Nativitatis:* & idem esse aserit in Ecclesia Veneta S. Marci. Et rationem reddit, ex eo quod Bethlehem, ubi natus est Christus est fere 31. gr. longitudinis, Roma vero fere 60. gr. hinc differentia, quae inter utriusque longitudinis Zenith interjacet est fere 30. gr. Et cum Sol 15. gradus in singulis horis percurrat, Bethlehemitica media nox per duas circiter horas praecedit noctem Romanam, ac proinde, quando in Capella Papali, & in Ecclesia S. Marci (nam fere idem accidit) Missa Natalis celebratur per duas circiter horas ante mediam noctem, imitantur physicam mediam noctem Bethlehemiticam. In alijs autem Ecclesijs in media cu usque propriae Regionis nocte Missam celebrant. In illis autem climatibus, in quibus naturalis Aurora non

apparet, attendenda est moraliter, & politice Aurora, quae proinde tunc erit, quando communiter, quies terminari solet, ut est declaratum à *S. Cong. Rit. 18. Sept. 1634.* Et haec quidem de Missis privatis intelliguntur, non de Missis Conventualibus, quas nempe Ecclesiarum Rectores quotidie celebrari facere tenentur, sive cum cantu, sive privatim juxta temporis conformitatem. Missa equidem Conventualis, & solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infraoctavas, dicta in Choro hora tertia. In festis simplicibus, & ferijs per annum, dicta sexta. In Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, etiam infraoctavam Pentecostes, & Vigilijs, quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa solemnis debet cantari post Nonam. *Ex Rubr. Missal.* Sicque hodie omnes Missae dicuntur postquam horologium nonam horam usualem diei ante meridiem (*Hispanice: à las nueve del dia*) designat. Dicta tamen prius in Choro correspondenti hora. Licet olim praedictae Missae respective dicebantur, vel hora tertia (quae correspondet horae nonae usuali diei) vel hora sexta (quae respondet duodecimae usuali) vel hora nona (quae tertia post Meridiem respondet) rationem hanc affert, *D. Thom. in 3. p. q. 83. art. 2. à nobis*, inquit, celebratur Missa hora Dominicae Passionis, scilicet, diebus festis, in tertia, quando Jesus crucifixus est linguis Judaeorum, & quando Spiritus Sanctus descendit super Discipulos. Vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manus Militum. Vel diebus jejuniorum in Nona, quando voce magna clamans, emisit spiritum. Per Missam iniquidem solemnem semper intelligimus ait Suarez, Missam illam, quae Missa dici dicitur: non enim quaecumque Missa, quae cum cantu dicitur appellatur solemnis: haec namque juxta varias consuetudines, & devotiones fere differenter potest, sicut privata dici toto tempore matutino.

36. Licet olim plures in die Missae possent celebrari. *c. 11. de Conf. D. 2.* cum & Leo novem in die aliquando celebrasset, postea tamen ad pauciores, & denique ad unicam fuit restricta facultas. *c. 53. de Conf. D. 1. ibi: Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Non molita res est unam Missam facere: & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest. c. 12. b. t. l. 49. tit. 4. p. 1. ibi: Bienaventurado es el que una puede decir dignamente.* Una ergo sufficit, quia Christus semel passus est, & totum Mundum

redemit, ut ait Textus, & ex eo D. Thomas. Et potest quidem quotidie repeti, licet semel in anno scilicet in Hebdomada Sancta Passio Christi recolatur: quia in hoc Sacramento recolitur Passio Christi, secundum quod ejus effectus ad fideles derivatur: tempore tamen Passionis recolitur Passio Christi solum secundum hoc, quod in ipso Capite nostro fuit perfecta: quod quidem factum est temel: quotidie autem fructum Dominicae Passionis Fideles percipiunt: & ideo illa commemoratio fit semel in anno, haec autem quotidie, & propter fructum, & jugem memoriam. Non ergo licet plures in die Missas dicere, nisi urgeat necessitas; v. gr. quando unus Parochus duas habet Ecclesias distantes. Nam tunc potest Parochus utrobique Missam dicere, debet tamen esse jejunus ad celebrandum: raro autem licebit plusquam bis celebrare. *L. 50. tit. 4. p. 1. Et ibid. Greg. Lop. Crescente vero necessitate etiam tres Missae dici valebunt. Laer. lib. 6. p. 2. n. 239.* In nocte quidem Nativitatis Christi tres profecto cuilibet Sacerdoti Missas dicere licet. *C. Noctis Sanctae 48. de Conf. D. 1. Et ibid. Gloss.* Celebratur una ante diem, quae significat tempus ante Legem, quando eramus in tenebris: Secunda dum diecit, & significat tempus in Lege, quando nondum plena cognitio Dei habebatur: Tertia in die, & significat tempus gratiae, quando jam plena cognitio habebatur. *L. 49. tit. 4. p. 1.* quando in his Versibus panditur. *Noctis prior sub luce sequens, in luce supremas—Sub Noe, sub David, sub Cruce sacra nota—* vel aliter—*Quarum prima tibi tempus, quo lege carebant— Altera dat Moysen, designat tertia Christum.* Alij vero sic dicuntur. *Tres in Natali debent Missae celebrari— quarum prima Sacram Christi signat genitricem— Altera venturi designat gaudia Christi— Tertia jam factum quod Lex fore Sacra figurat.* *D. Thom. in 3. p. q. 83. art. 2.* ait, has tres Missas denotare triplicem Christi nativitatem: quarum prima est aeterna nobis oculta, & ideo cantatur in nocte. 2. est spiritalis, quia Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, & propterea cantatur in Aurora. 3. est Corporalis, secundum quam nobis visibilis apparuit, natus ex Virgine: & ideo cantatur in die, & clara luce post tertiam. Sed hoc intelligitur de Missis Conventualibus non de privatis, teste consuetudine. Et licet tali nocte non deberet fidelium Eucharistia ministrari: tamen ex consuetudine plures tunc solent communionem accipere. Sed jam ab aliquibus Episcopis prohibetur post canta-

tam primam Missam, alias duas immediate celebrare, & fideles communicare, ut saepe à S. C. R. responsum est. \* Nullus quidem Sacerdos, etiam Parochus, tres Missas tunc dicere tenetur, cum hoc per modum privilegij concedatur, quo quis potest, non tamen tenetur uti. *C. 6. de Priviil.* Si ergo unam tantum Sacerdos dicat, tertiam, utpotè officio respondentem dicere debet, vel etiam dicere valet Missam temporis, quo celebrat respondentem: si in nocte, primam: si in Aurora, secundam: si vero jam in die claro, tertiam dicat: & quamcumque dicat, de Sancta Anastasia commemorationem faciet. Non tamen potest Sacerdos bis celebrare, & semel more laico communicare: solum namque conceditur facultas triplicandi sacrificium, non tamen ter, extra illud, communicandi. Parochus autem habens duas Parochias, potest in una unam Missam, & alias duas in alia celebrare: quin etiam si velit, potest in quolibet, privilegio utendo, tres Missas dicere ad fovendam utriusque Populi devotionem. *Suar.* Deinde in Regno Valentiae possunt Sacerdotes Saeculares in die Defunctorum duas Missas, Regulares autem tres celebrare, ut afferunt *Trullene. Laer. lib. 6. p. 2. n. 235. & alij*, qui etiam alia similia privilegia referunt. Et novissime Benedictus XIV. ad instantiam Ferdinandi VI. & Joannis V. Regum Hispaniae, & Lusitaniae concessit, quod omnes Presbyteri Saeculares, & Regulares utriusque Regni possint tres Missas in die Commemorationis Defunctorum celebrare, ita tamen, ut secunda, & tertia Missa debeant applicari in communi omnibus fidelibus detinuit, nec pro ipsis elemosyna possit accipi. *Ita in Conf. cum nobis 26. Aug. 1748.* \* Quo vero extra casus à jure permisos bis, vel plures celebrat, graviter puniendus est ab Inquisitoribus, ad quos hujusmodi delicti punitioni spectat. *Gonzal. in c. 3. b. t. Præterea in nocte Nativitatis benedicuntur à Pontifice gladius, & pileus, qui solent ad Principes, vel Duces mitti, ad significandum, quod potestas Saecularis, & administratio justitiae recipi debet à Rege Regnum. Si Dux quidem praesens sit quintam lectionem officij illius noctis, superpelliceo indutus, canere debet: super quod cingit gladium, & pluviali albo insuper induitur, quod à latere dextro apertum est, pileumque in capite habet, quem cum lectionem canit, aufert, & adstanti Ministro consignat. Sed antequam benedictionem petat, evaginato gladio ter percussit terram, terque in aerem vibrat, & super sinistro brachio illo deterso, in vaginam reponit, & lectionem canit: quae*



qua finita prædictis exiit paramentis. Si vero Imperator adit, sicut Federicus IV. ann. 1468. tempore Pauli II. adfuisse dicitur, non tegitur pilico: quia Ducale insigne est, sed ejus scutiferi in manu ferunt, & ptyviale more solito gerit, evaginatoque gladio modo dicto, canit lectionem septimam nempe: *Exijt Edictum à Casare Augusto*. Et ipsi duo Cardinales Diaconi, assistent, & fat est, quod usque ad homiliam cantet, si integram lectionem capere nolit, quam unus ex Diaconis assistentibus prolequetur. Sic *Jacob. Macri. & alij. in 101. 363.* In Coena Domini, seu die Jovis Sancto, vel Feria V. majoris hebdomadis (quæ omnia idem significant) cullibet Sacerdoti privatim celebrare licebit saltem ante incensam Missam solemnem, ut tenent *Sánchez. Vazquez. Lugo. & alij cum Lacroix, lib. 6. p. 2. n. 231.* Habens quidem plures Parochias debet in Coena Domini Missam in principali dicere, & ibidem erigere sepulcrum. Sanè consuetudo ubique est introducta, quod Presbyteri, & Diaconi uniuscujusque Ecclesie in Coena Domini de manu sui Pastoris communicent in solemni Missa propter representationem Christi Domini, qui eo die primam Missam celebravit, & Apostolos communicavit, in cujus facti memoriam solum primarius Sacerdos celebrat, & alij communicant. Quæ consuetudo licet non esset obligatoria, ubique servari decrevit. Sed hodie major urget obligatio ex *Decr. S. Cong. 17. Sept. 1608.* In die Parasceves, seu die Veneris Sancto, seu Feria VI. hebdomadæ majoris, vel Sanctæ, cum Ecclesia colat Sacrificium Christi crucentum, non celebratur Missa, in qua incertè immolatur. *C. 13. de Cons. D. 7. & D. Thon. in 3. p. q. 83. art. 2. ad 2.* ait quod veniente veritate cessat figura: hoc autem Sacramentum est figura quedam, & exemplum Dominicæ Passionis, & ideo in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti. Ne tamen Ecclesia, ea etiam die, sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibitio, Corpus Christi consecratum in die præcedenti reservatur sumendum: non autem Sanguis ob effusionis periculum, & quia Sanguis specialius est imago Dominicæ Passionis. Et ne eodem die Christus vivens, & loquens representetur, quo primo mortuus recollitur. Sumptio Eucharistie in illo die à celebrante accepta non est propriè sacrificium. Quando ipse dicit: *Sic fiat sacrificium nostrum, &c.* sacrificium sumitur pro re sacrificata, quæ est Christus sumendus

ab officia celebrante. Idem est, quando ipse dicit: *Orate fratres, ut vestrum sacrificium, &c.* Sic *Suar. & alij cum Laer. lib. 6. p. 2. n. 13.* In Parasceve olim communicabant fideles, hodie tamen prohibetur ex *Decr. S. Cong. 19. Febr. 1622.* pro Viatico autem debet dari, si Parochus in die Coenæ non relinquat hostiam pro die Veneris, debet potius officia omittere, quam tali die sacrificium consecrare. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 233.* In Sabbato Sancto olim non dicebatur Missa, sed in ipsa nocte legentur Prophetie: quippe tunc per totum diem Sabbati Ecclesia representabat reliquiam Christi in Sepulchro, & solitudinem suam, & erat quasi in merore postea Christi Resurrectionem expectans: & ideo toto illo die usque ad mediam noctem, & initium diei Dominicæ ab oblatione Sacrificij cessabat: postea verò anticipavit tempus illud, & ab illa hora, in qua officium Sabbati celebrat, incipit jam cum gaudio, & alacritate recolere Christi Resurrectionem: Hinc jam ab illa hora cessabit ratio, ob quam sacrificium prohiberi poterat, consequenterque nunc cœnetur revocata prohibitio sacrificandi, ut defacto Ecclesia jam ex tunc sacrificium offerat in ipso die Sabbati tempore ante inridiano. Sed non licet alias Missas, etiam privatas, præter unam solemnem, dicere, quocumque consuetudine non obstante, ut a *Sacr. Cong. Rit. 11. Mart. 1690.* Pontifice approbante Decretum est. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 234.* Nec item (ut aliqui dixerunt) in Sabbato Sancto, etiam post Missam solemnem, & die Jovis ante Missam solemnem, potest Missa solemnis de corpori presenti dici, nec etiam Missa privata. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 507.* Si festum Annuntiationis occurrat in feria 6. in Parasceve, aut in Sabbato Sancto, ex *Decr. S. Congregationis 11. Mart. 1690.* approbato ab *Alex. VIII.* non modo in Choro, id est, quoad officium, & Missam de ipso recitanda, sed etiam in foro, id est, quoad præceptum, & obligationem audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, & transferri in secundam feriam post Dominicam in Albis, translatio ad aliam diem quocumque alio festo in eadem feria forsan occurrere, nisi hoc fuerit altioris Ritus. Si festum Annuntiationis incidat in Dominicam Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, tantum transferri in Choro, id est, quoad officium, & Missam de ipso recitanda, in feriam 2. post Dominicam in Albis: non tamen transferri in foro, seu quoad obligationem audiendi Missam, & abstinendi ab operibus

servilibus: sed quoad hæc duo observandum omnino est eo ipso die, in quem cadit: Imò si post primum triduum Paschæ intra hujus Octavam occurrat, potest ea die una Missa solemnis votiva cantari ubi Annuntiatio est titulus, vel concursus Populi ad celebrandum ejus festum. *Halden. p. 2. tit. 3. f. 91.* Si festum S. Josephi, vel Annuntiationis venerit in feria V. in Coena Domini non solum observandum est præceptum vacandi ab operibus servilibus, sed etiam præceptum audiendi Missam, & eoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die aliqua Missa privata ante celebrationem solite Missæ Conventualis non desint. *S. Cong. 13. Sept. 1692.* 364. Jam à primis Ecclesie temporibus Missæ pro defunctis offerbantur, & usque nunc offeruntur, licet contra hanc piam consuetudinem Hæretici de more latrare non cessent. Quin, & quotidianæ Missæ, & Divini officij precibus non cessat Ecclesia requiem pro ipsis deprecari: & in quolibet mensis principio officium, ac Missam pro illis recitat ex antiquissimo instituto, ut testatur *Alcuinus*. Et insuper in quocumque primo hebdomadis die variæ a fidelibus pro ipsis funduntur preces, & sic in his Insulis pie, & universaliter servatur. Item non solum die obitus Missa pro defunctis celebratur, sed etiam post diem tertium obitus: quæ dies à die sepulture numeratur: & hoc si ob memoriam Resurrectionis Christi, quæ fuit tertio die post ejus mortem. Item Missa dicitur die septimo in symbolum æternæ vitæ, & die trigésimo, quia in *Nann. 20. v. fin.* habetur, mortem Aaronis per triginta dies fuisse à Populo deploratam. Idcirco *D. Gregorius lib. 4. Dialog. ordinavit* Abbati specioso, ut per triginta dies continuos pro anima Justii Monachi Missam celebraret. Et in anno post sepulturam etiam anniversaria celebrantur, quæ Hispanæ dicuntur: *Cabo de vno.* Tandem pro omnibus defunctis anniversaria generalia ad diem 2. Novemb. habita sunt à *Bonifacio IV. ann. 609.* licet alij aliter de origine sentiant. Tali enim die Missa potest applicari tunc in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis Ex declaratione *S. Cong. 4. Aug. 1663. Laer. lib. 6. p. 2. n. 515.* prima die post festum animarum legitur in nostra Societate Missa pro nostris defunctis, prout in die animarum, sed omisso famularumque. Officium funerale exequiæ nuncupantur, vel quia defuncti voluntas executioni mandatur, vel quia potest ipsum defunctum morturi sublequantur, vel more Præcorum fu-

nebre pompam prosequerentur, ut ait *Nebrissenfis*. Et licet *Carolus V. Albertum Magnum* imitando, sibi exequias, dum viveret, celebrari jussit, & hoc licitum, & pium judicent *Navar. Fagund. & alij.* nihilominus *Laym. Castropal. Garc. Dian. Macri, & alij* hoc licere negant. Et hoc quidem est conformius sensui communi, & praxi Ecclesie, ut ait *Laer. lib. 6. p. 2. n. 516.* In exequijs fit aspersio aquæ benedictæ super cadaver, vel tumulum, incensoque benedicto thurificatur in symbolum fidei, quod in die judicij ea corpora incorrupta revertent. Missa defunctorum, vel officium nequit fieri in festis primæ classis à primis, vel peris usque ad completoriam diei sequentis inclusive, etiam corpore præsentè, & in sepulto. *Sacr. Cong. 6. Jan. 1677.* In octavis tamen Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Corpus Christi, feria 4. Cinerum, feria 2. & 3. & 4. majoris hebdomadæ, in Vigilijs Nativitatis, & Pentecostes solum permittitur Missa solemnis defunctorum corpore præsentè, & in sepulto. Nec Missa defunctorum privata permittitur in Dominicis, & festis duplicibus, etiam translatis, sed solum una solemnis de corpore præsentè. *S. Cong. Rit. 16. Jan. 1677.* quod confirmarunt *Alex. VII. ann. 1562. & Clem. XI. 30. Aug. 1706. Laer. lib. 6. p. 2. n. 507.* Insuper in principio Pontificis die 29. Sept. 1714. sic habetur: Missa pro defunctis, si ve de Requiem in festis duplicibus contra præscriptam Missalis Romani, nullatenus celebrari debent: quod si ex Benefactorum institutione Missæ hujusmodi celebranda incidunt in festum duplex, tunc ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificij juxta mentem eorumdem benefactorum die 5. Aug. 1662. approbato ab eodem *Alexandro VII.* Prædictum Decretum ab ipso *Alex. VII.* speciali Brevis: *Credite nobis*, denuò fuit confirmatum, & insuper statutum, idem servandum esse, quoad Missas in altariibus privilegiatis ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per ejusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari perinde ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum: ac denique declaratum, & Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingenti, in prædicto *Decr. 5. Aug. edito* minime comprehendere, prout autem in una No-



variens 22. Nov. 1664. eadem S. Cong. declaraverat: die 22. Jan. 1667. Deinde fel. rec. Clem. IX. eadem S. Cong. Decreta alio Brevi, cujus initium: *Cum fel. rec. iterum confirmavit, & prædictam Alex. VII. dispositionem ad altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc, & in futurum, quomodo-cumque privilegiata extendit die 23. Sept. 1669.* Tandem proposito dubio: an supradictæ *Alex. VII. & Clem. IX.* declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infraoctavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet à festo duplici non impediatur, adhuc tamen Missæ defunctorum juxta ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas ipsæ diebus celebrare licet, servata cæteroquin privilegiorum forma ad altaria privilegiata celebrentur. Eadem S. Cong. Rit. 3. Aprilis 1688. prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit: ejusque Decretum tubi-nde confirmatum fuit à fel. rec. Innoc. Pap. XI. speciali Brevi, quod incipit: *Aliat postquam, dato die 24. Maij 1688.* Etiam prohibitum est, celebrari Missas votivas, vel pro defunctis infraoctavam Corporis Christi die 21. Julij. 1670. approbatum à Clem. X. & infraoctavam Nativitatis Dñi. Olim quidem Missa defunctorum solum in agonia dicebatur, & sic facitè intelliguntur verba offertorii hujusmodi Missæ, nempe: *Ne absorbeat eas Tartarus, nec cadant in obscurum:* & ea, *fac eas Domine de morte transire ad vitam.* Quæ sanè hodie difficile de Animabus Purgatorii intelligi possunt: nisi nomine Tartari, & Obscuri, Purgatorium intelligamus, deprecantes, a diu ibi absorbeantur, & ne cadant (secundum nostrum modum intelligendi) in obscuritatem oblivionis, alia plura satis difficilia inveniuntur, quæ solvit Suarez. In Missa defunctorum contio fit post finitam Missam, nec Episcopus in hujusmodi Missis debet uti septima Candela. 19. Maij 1607.

365 Professio aliquando Missæ pro celebrantis devotione extra præscriptum Kalendarij solent celebrari, quæ votivæ, quasi voluntariæ appellantur, in quibus regulariter Gloria, & Credo omittuntur. C. 4. b. 1. Non tamen possunt celebrari in diebus festo duplici, vel octavis solemnibus duplicia excludentibus impeditis. S. Cong.

Rit. 28. Aug. 1627. nisi aliqua causa gravis, & publica aliud iudicet: & tunc Gloria, & Credo dicetur, & tempore legitur in fine Evangelium S. Joannis. Quando in octava alicujus Sancti de eodem, cujus est octava, Missam votivam celebrari contingat, tunc currentem debere celebrari alicui Gavantus. Item si contingat alicujus Sancti Missam votivam celebrari in ejusdem die natalitio, de quo tamen non fit Officium, tunc dicitur Gloria cum tribus orationibus, quarum secunda erit de Sancto, de quo fit Officium, ut solet accidere in Titulo alicujus Sacelli, vel Sancti simplicis in die de Officio duplici, aut semiduplici impedito: quæ Missa semivotiva appellari solet. In Missis votivis B. Virginis non dicitur Gloria, nisi in Sabbato, in quo die, etiam si de ea non fiat Officium, si Missa de ea dicatur, semper cum Gloria dici debet: quippe Sabbatum B. Virginis sacrum est: quia sicut Sabbatum est janua dici Dominicæ, & hæc symbolum æternitatis, ita B. Virgo æterni refrigerij, & quietis pia janitrix est, unde merito B. Virgini dicatur. Graves siquidem cause ad Missam votivam, etiam in diebus Dominicis, & festis duplicibus, exceptis festis majoribus Paschatis, Ascensionis, & similibus, celebrandam censentur quæcumque bonum commune respiciunt: & necessitas belli, pluvie, aut cujuslibet mali communis, talis Summi Pontificis, Episcopi, aut magni Principis periclitantis: Expositio Sanctissimi tam in diebus Baccanaliu, quam in oratione 40. horarum gratiarum actio pro gratia communi: Item comitia tam Generalia, quam Provincialia Regularium, sicut in his casibus potest infirmitati processio. In Sacra Lauretana Domo in quæcumque Missa votiva B. Virginis semper dicitur Gloria, licet non fit in Sabbato. Et ex privilegio potest ibidem per totum annum celebrari Missa Annuntiationis, & quando legitur Evangelium, dicitur: *Missus est Gabriel Angelus in hanc Civitatem.* Et in fratri Evangelio dicitur: *Verbum caro hic factum est: sic Maeri. Hiero-Lexic. V. Evangelium.* Sed rure dicitur Missa votiva B. V. et tempore, & nihil additur in Evangelio, totum que in Litaris dicitur: *Angelus Domini in nuntiavit Maria.* \* In his Institutis singulis anni Sabbatis dicitur Missa solemnissimæ votivæ de B. Virgine temporis propria pro Constantia Incolarum in Fide, & pro Religionis conservatiere in his partibus, quæ causa gravissima sanè, & publica est, quippe maxima est ratio, quæ pro Religione militat. L. 43. ff. de Religioj. & s. m. p. Hinc que

que die non impedito festo duplici 1. classis celebratur, diciturque Gloria, Credo, unica oratio, & in fine Evangelium S. Joannis: nec Festi, Vigiliæ, vel Feriæ occurrenceis commemoratio fit. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 499.* Deinde novem diebus Nativitatem Christi Domini præcedentibus eodem modo, & ex eisdem causis Missa celebratur, est tamen de tempore Adventus, quin, & indulgentia plenaria inter-essentibus his Missis, quas *Hispanè* dicimus de *Aguinaldo* à Sixto V. concessa est juxta *Grijalban.* Intuè S. R. Cong. prohibet omnino Missas à S. R. Cong. non approbatas, & signanter Missas nuncupatas S. Gregorij pro vivis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, Missam de Patre æterno, & quascumque alias, ut supra non approbatas, exceptis tamen Missis Rosarij, & de Monte Carmelo, quæ sunt permixtæ Regularibus quibusdam, & ipsæ duntaxat: nec possunt ab alijs celebrari, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs. Quod approbatum est ab Urban. VIII. ut constat ex principio Missalis. In omnibus tamen debent attendi concessiones speciales, ut juxta ipsas dirigamur. Demum olim quando aliquis sæculari more se purgabat ab aliqua calumnia, celebrabatur Missa, quæ *judicij* dicebatur, cujus ritus, & ceremonias asserit *Maeri. Hiero-Lexic. V. Missa judicij.* Et sic factum legitur de S. Cunegunda, aliisque fæminis dolotè calumniatis.

366 Nunc pro praxi oportet, ut Sacerdotem ad Missam celebrandam manducamus. In Missali igitur Romano in Tit. de Prepar. Sacerd. celebrat. ita habetur. *Sacerdos celebraturus Missam prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, & jaltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, & orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.* Expiari per confessionem Sacerdotem in micro gravi peccati statu jacentem, quando Confessarij copiam habet, de præcepto proculdubio est. *Trident. sess. 13. cap. 7.* reliqua potius ad consilium, quam ad præceptum spectant: de quo latius disputant DD. Sacerdos ergo Missam celebraturus ad Sacristiam, quæ etiam Sacrarium appellatur, accedit, ut vestibus Sacris, mundis quidem, & integris, induatur. Hic enim locus ventrem Virginales, ubi Verbum Divinum nostram induit naturam, representat juxta Durand, & alios. Nec licet paramenta sumere de alteri, cum id competat tantum Episcopis, sive solemniter, sive privatim cele-

brent. Inferioribus verò habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. Ut declaravit S. Cong. & approbavit Urban. VIII. & constat ex principio Missalis. Ubi Sacristia non est, ut aliquando accidit, poterit Sacerdos juxta altare paramentis indui. Et quidem debet esse decenter vestitus, ita ut superior vestis talum pedis attingat, quatenus commodè fieri possit: item calcatus, non nudis pedibus celebrare debet: nam ut ait *Durandus* per pedes convenienter affectus intelliguntur: debent namque Sacerdotes habere affectus, & desideria calcæata, ne pulvere terrenorum, seu temporalium maculentur. Per hujusmodi quoque calcæamentum prohibitio pedum congruè intelligitur, ne videlicet ad illicita festinent. Prælati quidem in Pontificalibus, sandalijs utuntur, & illud Dominicæ Incarnationis calcæamentum significant, de quo ipse in Psalmo *In Idumæam*, inquit, *extendam calcæamentum meum.* Id est, Gentibus notam faciam Incarnationem meam. Pontifex sandalijs rubens utitur: in pede dextero habet crucem auream. *Calæ. de Eccles. Romæ. fol. 133.* sed non est necessè, calcæos, vel sandalia esse benedicta, cum hujusmodi consuetudo, tantum fit ex quadam decencia introducta. In Episcopis autem sandalia necessearia sunt, sicut fortè, & olim in Sacerdotibus: Sacerdos celebraturus manus lavat corporaliter, quod fit in significationem spiritualis, & etiam corporalis munditiæ: Deinde sacras induit vestes, quæ ad similitudinem Legis antiquæ sunt admittæ. *Exod. 18. Faciesque vestem sanctam Aaron fratris tuo in gloriam, & decorem:* quin & suo modo erat in usu, etiam apud Gentiles juxta illud *Virgil. puraque in veste Sacerdos.*

367 Primo ergo allumit amictum, quo olim caput tegebatur, & quem Pontifex loco Ephod, seu superhumeralis, & Rationalis juxta aliquos habet, de quo postea. Amictus juxta Alcuinum dicitur aquodam verbo Græco, quod *induo* significat. Denotat equidem velum, quo in Passionis noctè Milites Redemptoris faciem velabant: & spineam coronam ejus capiti impostam, vel etiam humanitatem, qua tecta erat Divinitas: ipoque significatur fiducia, seu spes, qua debet Sacerdos accedere ad offerendum Deo tantum sacrificium: hinc dicit: *Impono Domine capiti meo galeam salutis.* Galea enim salutis metaphoricè spem significat: sub spe autem fides intelligitur: quippe quæ est sperandarum substantia rerum.



Amictus aliquando appellatur *Ambolagium*, *Anabolagium*, *Anaboleum*, & *Humeralis*, *Macr. Hiero. Lexic. V. Amictus*. Secunda Sacerdotalis vestis est *Alba*, quae tunica talaris, quia usque ad talos descendit, & hac ratione etiam *poderis* appellatur: quia usque ad pedes descendit, ait *D. Isidorus: podos enim Graeci pedes dicunt: alludit juxta D. Thom. ad vestem candidam, qua fuit Christus in conspectu Herodis delusus. Et juxta Durand. Innocent. & Suar. ob speciem candoris munditiam, quam in anima, & operibus Sacerdos habere debet, significat. Et hinc ipse orat: Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudijs perfruatur sempiternis. Etiam dicitur *Camisia*, *tunica lineae*, *supparum*, & *linea Dalmatica*. 3. Debet autem *Alba* circa lumbos Sacerdotis, seu Pontificis *zona*, seu *cingulo*, (quod in Lege, & apud Graecos *zoste*, sive *balteum* dicebatur) praecingi, ne defluendo, incessum impediatur. Alluditque juxta *Innocent. ad id, quod Joann. in Apocal. 1. ait: Vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & praecinctum ad mammillas zona aurea. Denotaturque fuses, & flagella, quae Corpus Christi ambiunt. Item carnis continentiam, & castitatem: nam circa lumbos, in quibus luxuria dominatur, debet accingi. Et hinc in oratione dicitur: *Praecinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae, & castitatis. Nec cingulum Sacerdotis debet habere fascias pendentes, quod abulum reputant aliqui. At vero in sinistro latere Pontificis duplex cingulum succintorium pendet: quia duo sunt, quibus castitas roboratur, & sine quibus difficile conservatur: Oratio nempe, & jejunium. 4. indumentum est *Manipulus*. Olim quidem in usu erat lineum, vel sudarium ad extergendum sudorem, seu lachrymas, eratque proprium Subdiaconi indumentum, quod ipse ferebat, praecipue ad sacra vasa polienda: alluditque ad funem, qua Christus in Passione fuit ligatus, vel ad humanitatem Christi, seu ejus pugnam pro justitia: & moraliter fletum, veram poenitentiam, & cordis compunctionem indicat, qua Sacerdotes ad altare accedere debent: cui sane poenitentiae postea respondet manipulus retributionis, juxta illud *Psalm. 125. Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Et sic in oratione dicitur: Mercor Domi-****

ne portare manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris. Manipulus numquam in Processionibus, etiam Corporis Christi, ferri debet: nec ad Vesperas, quamquam celebrans sit inductus pluviali: quia extra sacrificium ordinario sudariolo lachrymae, ac sudor abstergi possunt. Indui quidem debet ita ut brachij cubitum non excurrat, sed juxta manum, nam manipulus à manu dicitur. Graeci, & Maronitae duos manipulos gestant, unum nempe in unoquoque brachio. Episcopo, quando celebrat, imponitur manipulus facta jam confessione, quando dicit: *Indulgentiam, &c.* Olim quidem manipulo calix purificabatur, & Ideo lineus erat: & praecipue ille, quem gestabat Subdiaconus. Sed hodie quodam lineolo calix tergitur, & purificatur: & hac de causa purificatorium dicitur, & quamvis non benedicatur debet in ejus medio crux acu depingi, ut à ceteris lineolis pro sacrificio preparatis distinguatur. Etiam aliquando manipulus appellatur *Brachiale*, *Brandemum*, *Epimanicion*, *fanon*, *linteum*, *manica*, *mantile*, *orarium*, & *sudarium. Macr. Hiero. Lexic.* Apud Poetas Manipulus erat pars centuriae ita dicta, quod sub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus manipulos fecit, ac herbarum hastis alligatis in bello pro signis, aut vexillis gerebat. Ut canit *Ovid. Pertica sustensis portabat longa manipulos: undè manipularis nomina Miles habet. 5. Vestis sacra est stola, sic appellata à verbo Graeco, quod talarem vestem, seu togam significat. Allusivè representat finem, quo Christus fuit ligatus, & ejus crucem: idcirco ante pectus in modum crucis eam collocant Sacerdotes, aliter verò Episcopi, qui ex utraque parte pendentem habent, eo quod ante pectus crucem deferant. Item denotat juxta *Durandum*, stolam primam, quae fuit innocentiae significativa. Hinc juxta *Suarez* ad Christum per obedientiam restituendus est homo in eum statum, quem per inobedientiam amisit, ideo Sacerdos, quando sibi stolam imponit, orat dicens: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevocatione primi parentis, & quomvis indignus accedo ad tuum sacramentum, merer tamen gaudium sempiternum.* Stola quidem à contionatoribus deferri solet: non verò Romae ob Summi Pontificis reverentiam: qui ea continuo, etiam in vijs publicis utitur: quin, & olim, etiam Sacerdotes cum Stola incedere tenebantur. Quando Papa celebrat privatim*

in aliqua Ecclesia, priusquam paramentis ad celebrandum induatur, debet illi Stola auferre primus Cardinalis Diaconus, & in ejus defectu ultimus Cardinalis Presbyter. Deinde, Cardinalis potest uti Stola, quando praedicat in Ecclesia sui tituli, sub mozeta tamen ad differentiationem Papae, qui illam supra mozeta deferret: at extra Urbem Cardinales, & etiam Episcopi Stola supra mozeta in concionando deferre valent. In *Textu in c. 9. D. 23.* sub excommunicatione prohibetur, ne Sacerdos ad solemniam Missarum accedat, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu-Christi sumpturus, quam oratio, id est, Stola utroque humero circumseptus. Nihilominus sine Stola communicare à mortali excusant *Bonacin. Macri, & alij* sicut etiam sine ea communionem infirmo porrigere. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 335.* Benedictiones fructuum, candelarum, altarumque rerum, quae cuilibet Sacerdoti permittuntur, debent ab ipso fieri superpellico, & stola induto: quae debet esse violacei coloris in omnibus benedictionibus, ubi exorsimi habentur, vel saltem coloris currentis diei, ut in Rituali praecribitur: Diaconus nequit sine Stola canere Evangelium, quia profert Christi verba: ipse tamen Stola in sinistro humero deferret, ut sciat, Ministrum Evangelij esse, non praepositum: Sacerdos verò utroque humero circumseptus esse debet. Demum Stola etiam dicitur *Orarium*, eo quod Oratoribus, seu Praedicatoribus concedatur ut ait *Alestinus*. Etiam *Epitracchion* à verbo Graeco, quod torquem vel collare significat, aliquando dicitur. 6. Ornamentum est *Casula* sic dicta à *Casa* juxta *Raban. Eo*, quod totum hominem tegat, quasi parva Casa: à Graecis dicitur *planeta*, quasi stella errans, quia antiquitus cum latissimo initio, & sine manicis erat, ejusque limbus super brachia, & scapulas projectus errabundus totum circumdabat corpus, & hinc planeta ab errore dicebatur. Indicatque vestem coccineam, seu purpuream, qua Christus ob Militum irrationem indutus est. Item juxta *Suarez* Casula significat, sicut, & Stola jugum Domini, ut ex oratione liquet, ubi dicitur, *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.* Sed diversa ratione, ac Stola: haec namque significat jugum Crucis Christi, planeta jugum amoris: Stola patientiam, & fortitudinem, quae ad jugum illud ferendum

necessaria est: Casula suavitatem, & dulcedinem jugi hujus, quae ex charitate provenit, significat. Casula etiam dicitur *Casubula*, *Penula*, *Superhumeralis*, & *Phelonium*. Episcopus, quando in Pontificationibus celebrat, calcatur caligis, exiit capillam, manus lavat, induit Amictum, & Albam, Cingulum ponit, accipit Crucem pectoralem, Stola, Tuniceam, Dalmaticam, Chirotechas, planetam, mitram, anulum cordis, & manipulum, pro quibus omnibus, formis in praesentia scriptis utitur. Haec quidem sunt vestimenta sacra, & benedicta, quibus Sacerdos tamquam Advocatus, & pugil cum antiquo hoste pugnaturus, quasi armis praecingitur. Sandalia enim pro croceis assumit; amictu pro galea caput contegit, prolora totum corpus Alba cooperit, Cingulum assumit pro arcu: cum Stola collum circumdat, quasi hastam contra resistenter hostem vibrat, manipulo pro clava utitur, Casula quasi Clypeo protegitur, manus armatur Libro pro gladio, atque ita instructus ad prostratum pro confessionem, diaboli renuntiat dominio. Sic *Joann. Belet. in suo Rationi*. Sex praedictae vestes sunt benedicendae ad sacrificium Missae, arg. c. 42. de *Conf. D. 1. Alba*, Stola, & planeta dicuntur paramenta majora; amictus, cingulum, & manipulus paramenta minora nuncupantur. Sine aliquo majorum voluntarie Missam dicere grave est. Sine aliquo minorum celebrare, si necessitas excuset, nullum peccatum, extra necessitatem veniale erit ob materiam parvitatem, quamvis alij rigidius discurrant. Sine omnibus omnino celebrare solum ob mortis metum potest excusari, si non cedat in fidei, vel Religionis contemptum: quippe tunc nullo modo possit fieri, *Juxta omnes.*

368 Sunt praeterea aliae vestes propriae Clericorum, de quibus hac occasione, nullibi melius, quam in praesentiarum, aliquid dicere expedit. *Superpellicum* equidem est Ecclesiasticum indumentum universo Clero commune. Itaque *Cotta*, vel ex quadam voce Graeco, tunica significante, vel ex Arabico *Rittan*, id est, *linum* nuncupatur, quippe ex hac materia superpellicum conficitur. Et quidem sic appellatur, quia antiquitus super tunica, pelliceas de mortuorum animalium pellibus factas, inducitur: quod adhuc in quibusdam observatur Ecclesijs, ad representandum, quod Adam per peccatum pellibus vestitus est. Superpellicum etenim per suum candorem, vitae inno-



centiam, munditiam, & puritatem castitatis, qua Status Ecclesiasticus resplendere debet, designat: Et eo quidem omnes Clerici ad Sacra ministeria uti valent. Præterea: Diaconus in Missis solemnibus, in Processionibus, & benedictionibus solemniter factis *Dalmatica* utitur, sic quidem dicta à *Dalmatis*, ubi primo inventa fuit juxta *D. Isidor.* & in signum lætitiæ afferitur. *c. 3. D. 76.* & tunicam inconsuetilem designat. Ea quidem uti cœperunt, ob incommoditatem *Colobij*, quo antea veteres utebantur teste *Aleuino*. Erat autem *Colobium* vestis sine manicis. Deinde Subdiaconi propriam vestem habent, quæ *tunicella* dicitur, & debet esse longior, & strictior, quam *Dalmatica*: sed hodie præcipue in nostra Hispania, utraque indistinctè *Dalmatica* nuncupatur, & ejusdem formæ sunt. Et olim quidem Sacerdotes *Dalmaticis* ante Casularum usum induebantur, postea vero, cum Casulis uti cœpissent, *Dalmaticis* Diaconis S. Sylvester Papa concessit. Quandoque tamen in Ecclesia nedom Diaconis, sed neque ipsis Episcopis absque *Papæ* permisso *Dalmaticis* uti licebat. *c. 10. D. 23.* Verum postea Episcopi omnes sub Casula passim *Dalmaticis* uti sunt, quæ, & hodie Episcopus simul utitur, & *Dalmatica*, & *tunicella*, & omnium ornamentis, ut ostendat, se perfectè omnes habere ordines, tamquam qui eos alijs confert. Minores verò Sacerdotes, cum eos non conferant, ideò illa non portant: præterquamquod cum Pontifex magis expressè, quam simplex Sacerdos, in ornamentis, atque in officio similitudinem gerat Salvatoris, ideò illa deferre debet. Regularitèr *Dalmatica*, & *tunicella* utuntur Diaconus, & Subdiaconus in Missa solemnibus, & Processionibus, & benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant. In diebus juniorum ( præterquam in Vigilij Sanctorum ) & in Dominicis, & ferijs Adventus, & Quadragesimæ, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam, (exceptis Dominicis: *Gaudete*. Etiam si ejus Missa infra hebdomadam repetatur, & Dominica: *Lætare*. Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in benedictione Cerei, & in Missa, ac in quatuor Temporibus Pentecostes: Item in benedictione Candelarum, & in processione in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, & Palmatum, & Processione, in Cathedralibus, & præcipuis Ecclesijs utuntur planetis plicatis ante pectus: quam planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinif-

trum humerum super Stolum complicatur, aut ponitur aliud genus Stola litoris in modum planetæ plicata: Et facta communiōne, resumit planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, & ea finita, osculataque celebrantis manu, planetam resumit ut prius. In Minoribus autem Ecclesijs, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant, Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus cum Stola ab humero sinistro pendente subdextrum. *Sic Rubric. Missal.* in Capella quidem Pontificia Diaconi, & Subdiaconi præter Manipulum gestant in Alba manicis frustilla coloris currentis festi expansa juxta antiquum Ritum. Est, & alia vestis, quæ in Processionibus, solemnibusque benedictionibus deferitur, & vocatur. *Cappa* eo, quod cætera indumenta, totumque hominem capiat, contegatque: habet caputium, quod est superum gaudium: & quia à pluvia defendit jam communiter *pluvialis* appellatur, crediturque à Legatione mutata, de qua in *Exod. 28.* ibi: *Facies, & tunica superhumeralis totam hyacinthinam, in cuius medio supra erit caputium: deorsum verò ad pedes ejusdem tunice per circuitum quasi mala puncta facies ex hyacintho, & purpura.* Non tamen benedicitur, cum non ordinetur ad Sacrificium Missæ, & omnibus ordinibus Ecclesiasticis communis est. Nomine istem Cappæ etiam Cappa magna intelligitur, seu Cappa longa cum caputio, pellibus, vel serico subfuto secundum temporum exigentiam, qua quidem utuntur Cardinales, Episcopi, & in multis Cathedralibus, etiam Canonici. Cappa etenim Sacerdotalis dignitatis eminentiam significat, caudæ longitudine denotat, quod Sacerdotalis dignitas usque ad diem Judicij erit duratura: pellis, qua in collo ejusdem, & circa pectus subfuta est, Prælatum monet, peccatorem esse, vel etiam ob mortis memoriam ponitur. In Matutino quidem etiam solemnissimo non est utendum pluviali, vel alio paramento, nisi tempore nonæ lectionis, quæ ab hebdomadario dicitur, qui una cum duobus præcantoribus paratur pluvialibus, & continuabat deinde recitationem Laudum istdem solemnitatibus fieri solitis ad ejusdem diei Vesperas. Cum celebrans utitur pluviali semper deponit manipulum, & ubi pluviale habere non potest in benedictionibus, quæ sunt in altari celebrans stat sine planeta cum Alba, & Stola. Præterea paramenta altaris, celebran-

brantis, & Ministrorum debent esse coloris convenientis officio, & Missæ diei secundum Romanæ Ecclesiæ usum: hæc namque quinque coloribus uti consuevit: nempe, albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro prout in Rubricis singulis temporibus, & festivitibus præscribuntur. Et juxta *Durand.* cortina alba significat vitam munditiam, rubra charitatem, viridis contemplationem, nigra carnis mortificationem, livida, seu violacea tribulationem: quandoque panni sunt varij coloris ad denotandum, quod nostrum purgatum esse debet à vitijs, & in eo debent esse cortinæ virtutum, & varietates bonorum operum. Color aureus, seu croceus æquivalere omni colori, quippe ad ipsum omnes concurrunt. Rubrica autem de coloribus non est præcepti, sed directionis. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 340.*

369. Est & aliud ornamentum proprium Cardinalium, & Episcoporum quod dicitur *byrrus*, *byrrum*, *burrum*, seu *mozeta*. Romæ solus Pontifex fert byrrum, seu mozeta super tunicam lineam, seu rochetum absque manteleto, quod etiam *Dalmatica*, seu tunicam appellatur, quod profecto signum est jurisdictionis, nam cum aliquis propriæ domi moratur non indiget manteleto uti. Pontifex in hebdomada in Albis albo, alias rubro byrrum utitur. Cardinales in Ecclesijs suorum Titulorum, in Congregationibus, quas in proprijs Palatijs habent, & in Sede vacante utuntur byrrum, & rocheto absque manteleto: quippe tunc jurisdictionem exercent. Episcopi extra Diocesim propriam nequeunt deferre mozeta. Rochetum equidem linea vestis est peculiaris Episcoporum, sic à quibusdam verbis, Græcis mollem tunicam significantibus, dicta: habet manicas obstrictas ad significandum debere Prælatum manus promptas, & expeditas ad largiendam elemosynam habere. Prælatum enim usum rocheti habens eo uti debet, dum obsequium Regijs Oratoribus præstat in audientia Summi Pontificis, seu in visitatione Cardinalis novelli, sive à Legatione redeuntis, & quando visitat aliquem habentem titulum Serenissimi. Prælati Regulares non rochetto, sed superpelliceo in Missa induantur. Usus quidem rocheti solum debet permitti illis, quibus de jure competit, nec alicui licet interfirere, aut assistere in celebratione Missarum, aut Divinorum Officiorum cum rochetto, neque cum cotta habente manicas angustas adinstar rocheti: & idem servandum est in concionibus. Sic à *S. Cong. Rit.*

declaratum est, & approbatum ab *Urba. no VIII.* ut conitit ex principio *Missalis. Dando: Camelaucium* est byrretum Monachale Græcorum, & Benedictinorum cuius limbus binas appendices parabolice figuris desinentes habet, quæ faciei tempora contegunt, ejus latere in quatuor partes æquales sunt, & aliquantulum elevata quatuor crucis angulos efformant. Et ita est byrretum Papæ ex purpuro holoserico raso pro astate: & villosio armellina pelle subfuto in hyceme, & *Camaurum* communiter appellatur, licet aliquando *Camaurum* pro Tiara usurpetur. *Galerum* insuper, vel *Galerum* hodie pro Cardinalio pileo, *Hispani: Capelo*: accipitur, & eo in solemnibus equitationibus, & alias Cardinales utuntur: quin & olim in Concilijs, & Consistorijs galero: non tamen byrreto utebantur. *Maeri Hiero-Lexic. V. Cardinales Imoc. enim IV. pileum rubrum Cardinalibus concessit. Bonifacius VIII. Ann. 1294.* eis vestes dedit purpuras ad Consulium Romanorum imitationem, quibus hujusmodi vestibus in anno Consulatus utebantur. *Gregor. XIV. Ann. 1590.* etiam Cardinalibus Regularibus rubrum pileum concessit. Episcopi autem galero, serico viridi, subfuto utuntur. *Pallium* equidem, quod est insignis plenitudinis officij Pontificalis. *cap. 23. de Privileg.* aliquibus Episcopis ex privilegio, & omnibus Archiepiscopis de Jure Communi conceditur. Etiam appellatur *Stola Apostolica*, *Stola Archiepiscopatus*, & *Stola Pontificalis*, succelsitque loco Ephod, ut alibi insinuatum est: *Ephod* enim Hebraica vox est, significatque superhumeralis, quo Summus Hebræorum Pontifex induebatur. Aliquando dictio *Bad*, id est, *lini* additur. Et hujusmodi vestis erat tam Sacerdotibus, quam Levitis communis, quin & tertium Ephod Politicum erat, quod & ipsis Laicis permittebatur, sicut erat illud, quod David deferrebat, quando ante Arcam saltabat. *2. Reg. 6. v. 14.* Sed certè Ephod Summi Sacerdotis omnibus alijs erat nobiliss. Sic Aaronis Ephod depingitur in *Exod. 28. ex n. 6.* *Facient autem superhumeralis de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta opere polymito: duas oras junctas habebit in utroque latere sinistram, ut in unum redeant. Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta: sumisque duas lapides onychinos, & sculpsit in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nati-*



*catis eorum.* Summus tamen Catholicorum Sacerdos loco Ephod fanone utitur. Fanon in Cereimoniali significat subtilissimum velum sericum variegatum, quo quidem utitur Papa, quando Pontificaliter celebrat, & post Albam induitur, & circa colulum ligatur ad modum caputij, ac supra caput ejus imponitur usquequo planeta induatur, supra quam deinde ad modum moxeræ adaptatur, & pallium superimponitur: itaque pars fanonis inferior sub planetam concluditur. Variiegatio etenim est quatuor colorum, qui in Ephod Legis Veteris reperiebantur, erantque quasi quatuor Elementorum symbolum. Fanon item aliquando significat velum hasta pendens veluti brandeam, & vexillum, quod Confanon, & *Italicè: Confalon* dicitur. Etiam significat velum in manica pendens, manipulum nempe, qui olim nil aliud erat, quam velum lineum ad sudorem, & lacrimas abstergens.

370 *Mitra* est Episcopale capitis ornamentum à quodam verbo Græco sic dicta, quasi ligamen, quo mitra ligabatur: quod & olim apud Gentiles adumbratum legitur: *Cererisque Sacerdos Amphibus albenti velatus tempora vitæ.* Mitra pileum Phrygium significat, quo capita Virgines, & alie Matronæ ornabant: ac proinde inter vestimenta muliebria numeratur in *L. 23. §. 2. ff. de Auro, & arg. legat.* ad quod alludit illud *Virgil. Aeneid. v. 215. Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, Maoniam mentem mitra, crinemque madentem subnixus rapto portavit.* Mitra verò Episcopalis Christi magnificentiam significat, duo cornua denotant scientiam utriusque Testamenti, quæ debet resplendere in Ecclesiasticorum Pastorum capite, duæ fasciæ superhumeros pendentes symbolum sunt spiritus, ac litteræ in Divina Scriptura abconditæ; quæ Præsul debet supernumeris portare totum id, quod ore docet. Sic *Innocent.* Cardinales quidem, quando sacris paramentis induuntur, mitræ usum ex serico albo ex concessione Pauli II. habent. Episcopi Græci, excepto Alexandrino Patriarcha, mitra non utuntur. Aliquibus Abbatibus usus mitræ conceditur, quin & aliquibus Canonicis, & Dignitatibus indulgetur. Prædicti tamen in distributionibus candelarum, cinerum, atque palmarum, licet habeant mitram debent nihilominus surgere, ac stare, ad differentiam Episcopij, quem sedere decet. *S. Congreg. Episc. 18. Febr. 1650.* Mitra à varijs appellatur *apex, sertum, vitæ, corona, pileum, Galea, & Tiara:* & jam communi-

ter *insula* indigitatur. Etiam *pectorale* est proprium Episcoporum: est enim illa crux gemmis formata ante pectus pendens (unde *pectorale* dicitur) qua Episcopus in Pontificali celebratione utitur, significatque antiquum Summi Sacerdotis Rationale, & sic aliquando vocatur, & in Cereimoniali Episcoporum *formalium* dicitur, & ab alijs *Enco-pium,* & *phylacterium* nuncupatur. *Rationale* equidem antiquum ex opere polymito erat juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, quadrangulum erat mensuram palmi habens tam in longitudine, quam in latitudine, & quatuor ordines lapidum habebat, & in quolibet ordine tres lapides erant nomina filiorum Israel inscripta habentes. *Exod. 28. ex n. 15.* eratque junctum superhumerali, ita ut non possent separari. In Rationali quidem Aaron erant scripta hæc verba: *Doctrina, & Veritas.* *Exod. 28. n. 30.* Insuper *Chivreticis* ad manus tegendas Episcopus in Pontificalibus utitur, & ideo Latine *manica* dicuntur: alluduntque ad hædinas pelles Jacob, quibus ab Isaac decepto benedictionem paternam obtinuit: debent esse inconsutiles, quippe Pontificis actiones debent fidei rectæ esse concordæ. Etiam significant nostræ mortalitatis spolia à Verbo Incarnato desumpta. In die Veneris majoris hebdomadæ, nec in Missis pro defunctis, debet Episcopus Chivreticis uti. *Baculus* etiam est Episcoporum insigne, & Latini Episcopi baculum curvatum inverticæ gestant, cujus significationes his versibus, quos affert *Gloss. in e. un. de Sacra Unction.* continentur: *In baculi forma, Præsul, datur hæc tibi norma — Attrahere per primum, medio rege, punge per imum — Attrahere peccantes, rege justos, punge vagantes — Attrahere, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.* In Missis defunctorum Episcopus baculo non utitur: nec eo, saltem hodie, Pontifex utitur. *c. un. §. fin. de Sac. Unct.* quamvis aliquos Romanos Pontifices baculo usum constet ex varijs picturis, quas affert *Jacobus Macri in Hiero-Lexic.* rationem reddit, *D. Thom.* quia Petrus, ait, dedit ipsum ad resuscitandum quemdam Discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Treverensis, & ideo in Dioecesi Treverensi Papa baculum portat, & non in alijs locis: vel etiam in signum, quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat. Licet alij aliter. *Baculus* etiam appellatur *Cabuta, Gamba, Ferula, Virga, & Crocica, Macri.*

371 *Annulus* item est Episcoporum, & Pastorum animarum ornamentum, quem tamquam suarum Ecclesiarum sponsi gestant: aurumque, & pretiola gemma ornatus esse debet, sed sine figura, vel cælatura aliqua. Unde ait *Hugo Cardinalis:* Prælatus debet esse annulus alios signando exemplo suo, & debet esse rotundus propter æternorum contemplationem. Et *Innoc.* ait, quod est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam Prælatus ipsius intemerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur. Et licet olim in dextro indice collocaretur, hodie tamen in Pontificali celebratione in annulari digito ponitur, in quo ferri continuo usus invaluit. Aliquibus etiam Abbatibus annulus conceditur, quin & Doctoribus: hic tamen non est Sacer cum benedictione careat. Prohibetur Proto-notarijs, non participantibus, & Doctoribus celebrare cum annulo *Sacr. Rit. Cong. 11. Febr. 1623.* item & Cathedralium Canonicis, 20. Nov. 1628. sub quo nomine intelliguntur, etiam *Canonicales* Dignitates. Pontifex quidem, ait *Optat. Milevit.* annulum portat, ut se sponsum Ecclesiæ agnoscat, & pro illa animam, si necesse fuerit, sicut Christus ponat, mysteria Scripturæ à perfidis sigillet, secreta Ecclesiæ resignet. Inter sigilla equidem Romani Pontificis *Annulus Piscatoris* numeratur, quo scilicet in cera rubra signat Brevia: ita dictus ab imagine D. Petri in actu piscationis. Aliud sigillum Bulla dicitur, quo videlicet in Cancellaria Apostolica plumbeæ Bullæ signantur, & ex una parte habet amborum Apostolorum capita, quibus interposita est crux, ex altera parte regnantis Pontificis nomen apponitur. Tertium denique dicitur *Stignum*, in quo nempe aliqua sententia Sacræ Scripturæ inscribitur: apponiturque in Bullis Pontificijs Consistorialibus, quæ manu ipsius Papæ, & à cunctis Cardinalibus, seu à majori parte subscribuntur. In his enim præter plumbum dictum depingitur crux, aliquaque circumscribitur sententia. Sic *Lucij III.* erat hoc signum ✠ *Adjuro nos Deus salutaris noster.* *Urbani III.* hoc ✠ *Ad te Domine levavi animam meam.* *Alexandri III.* hoc ✠ *Vias tuas Domine demonstra mihi.* *Macri Hiero-Lexic. V. Annulus, & Bulla.* Episcopi aliquando in Throno sedent. Hic namque variè pro diversitate situs Altaris collocatur, ita tamen, ut tribus gradibus ad ipsum ascen-

datur, qui pannis, aut taperibus tegatur. Forma sedis erit præalta, & subtilis, & super eam umbraculum, seu baldachinum appenditur, & sic Episcopus Missam solemniter celebrat: aliquando sedet in faldistorio. Hoc enim est certa humilis sedes, cujus forma adinstar antiquæ sellæ curulis est, & sic à *faldæ strato* dicitur. Italicè namque *fimbria,* & pedes montium *faldes* appellantur, eodem fere modo, ac in Hispania: Hinc sella ista, quia in extremitate strati, quod à throno, & extremitate Cathedræ dependet, solet collocari, idcirco ita nuncupatur. Poniturque in cornu Epistolæ ob reverentiam Cathedræ, quæ digniorem in Evangelij parte locum obtinet. In hoc igitur faldistorio solemniter celebrant Episcopi, ubi jurisdictione carent: quin & in proprijs Dioecibus, quando aliqua major Dignitas præsens est, seu quando in collatione Ordinum sedent ante Altare: non tamen debent uti faldistorio, in Ecclesijs Regularium, sed debent Cathedram, & baldachinum apponere. *Cl. fin. de Privileg.* celebrans in faldistorio, eo etiam pro genualij utitur. Hæc magno cum labore à varijs Doctoribus, qui de Ecclesiasticis ritibus, & ornamentis late agunt, decerpta sunt: nec major charitas e caligine antiquitatis quoad ritus, & nomina prædictorum facile hauriri vallet: cum sæpè à diversis Authoribus eadem res diversis nominibus appelleretur, idemque nomen diversis applicetur rebus. Et hæc regula debes uti cum aliqualem differentiam, vel etiam contrarietatem in prædictis apparere videas. Denum: Amictus, atque sacra, seu benedicta instrumenta nequeunt ad usum profanum converti, sed ea, si consumpta sint, comburi debent, quia non licet ea, quæ in Sacratio fuerint malè tractari. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jaçentur, ne introantium pedibus inquinentur. Sic *Clemens Papa in c. 39. de Conf. D. 1.* Nec prædicta possunt pretio commutari, nisi in casu necessitatis, alijs Ecclesijs. Ornamenta benedicta, quæ non tangunt immediatè Corpus Christi, tangi possunt à Laicis, & foeminis. Calicem consecratum, vel lapidem manu nuda tangere, secluso contemptu, non excedit veniale. Calices cum Sanguine solum à Sacerdote, vel Diacono tangi possunt: si vacui sint, etiam à Subdiacono, & Ministro in Sacrificio, etiam Acolyto: idem est de Corporali. Sic ex varijs *Textibus, D. 23.* Sacrificiis hujusmo-